

GUALTERUS DE CASTELLIONE, MISSUS SUM IN VINEAM  
K. Strecker, Moralisch-Satirische Gedichte, 6

Missus sum in vineam  
circa horam nonam,  
suam quisque nititur  
vendere personam;  
ergo quia cursitant  
omnes ad coronam,  
'semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?'

Rithmis dum lascivio,  
versus dum propino,  
rodit forsan aliquis  
dente me canino,  
quia nec afflatus sum  
pneumate divino  
'neque labra prolui fonte caballino.'

Licet autem proferam  
verba parum culta  
et a mente prodeant  
satis inconsulta,  
licet enigmatica  
non sint vel occulta,  
'est quodam prodire tenus, si non datur ultra'.

Cur sequi vestigia  
veterum refutem,  
adipisci rimulis  
corporis salutem,  
impleri diviciis  
et curare cutem?  
'Quod decuit magnos, cur michi turpe putem?'

Qui virtutes appetit,  
labitur in imum,  
querens sapienciam  
irruit in limum.  
Imitemur igitur  
hec dicentem mimum:  
'O cives, cives, querenda pecunia primum!'

Hec est, que in sinodis  
confidendo tonat,  
in eleccionibus  
prima grande sonat;  
intronizat presules,  
dites impersonat:  
'Et genus et formam regina pecunia donat.'

Adora pecuniam,  
qui deos adoras!  
Cur struis armaria,  
cur libros honoras?  
Longas fac Parisius

vel Athenis moras:  
'Si nichil attuleris, ibis, Homere, foras.'

Disputet philosophus  
vacuo craterem,  
sciat, quia minus est  
scire quam habere;  
nam si pauper fueris,  
foras expellere,  
'ipse licet venias musis comitatus, Homere'.

Sciat artes aliquis,  
sit auctorum plenus,  
quid prodest, si vixerit  
pauper et egenus?  
Illinc cogit nuditas  
vacuumque penus,  
'hinc usura vorax avidumque in tempore fenus'.

Si Joseph in vinculis  
Christum prefigurat,  
si tot plagis Pharaon  
durum cor indurat,  
si filiis Israel  
exitus obturat:  
'Quid valet hec genesis, si paupertas iecur urat?'

Quid ad rem, si populus  
sedit ante flumen,  
si montis ascenderit  
Moyses cacumen  
et si archam federis  
obumbravit numen?  
'Malo signatas carnes quam triste legumen.'

Illud est, cur odiens  
studium repellam  
paupertatem fugiens  
vitamque misellam.  
Quis ferret vigilias  
frigidamque cellam?  
'Tucius est iacuisse thoro, tenuisse puellam.'

Quidam de sciencia  
tantum gloriantur  
et de pede Socratis  
semper cornicantur  
et dicunt, quod opes his,  
qui philosophantur,  
'non bene conveniunt nec in una sede morantur'!

Idcirco divicias  
forsan non amatis,  
ut eternam postmodum  
vitam capiatis.  
Heu mentes perdite!  
Numquid ignoratis,  
'quod semper multum nocuit differre paratis'?

Si pauper Diogenes

fuit huius sortis,  
si Socrates legitur  
sic fuisse fortis,  
Iuvenalis extitit  
magister cohortis  
'marmoreisque satur iacuit Lucanus in hortis'.

Heu quid confert pauperi  
nobilis propago?  
Quid Tityrus patula  
recubans sub fago?  
Ego magis approbo  
rem, de qua nunc ago;  
'nam sine diviciis vita est quasi mortis imago'.

Semper habet comitem  
paupertas merorem,  
perdit fructum Veneris  
et amoris florem,  
quia iuxta nobilem  
versificatorem  
'non habet, unde suum paupertas pascat amorem'.

Adde, quod superbia  
sequitur doctores,  
inflati sciencia  
respuunt minores;  
ergo sic impletum est,  
quod dicunt auctores:  
'Inquinat egregios adiuncta superbia mores.'

Sit pauper de nobili  
genere gigantum,  
sciat, quantum currat sol  
et Saturnus quantum,  
per se solus habeat  
totum fame cantum:  
'Gloria quantalibet quid erit si gloria tantum?'

Audi, qui de Socrate  
disputas et scribis,  
miser, vaca pocius  
potibus et cibis.  
Quod si dives fieri  
noles vel nequibus,  
'inter utrumque tene, medio tutissimus ibis'.